

HELVETIAE SEV SVICIAE TAB.

Langarus fluuius ex Brettigoia, in Rhenum descendit. Sara flu. in Rhucantiarum finibus iuxta Scalam montem in Rhenum labitur. In Toggenburgensi regione ex montibus oritur Thaurus, vel Durias flu. ab eo Turgauia, quam alluit, nomen accepit, & Sittern fluuius, qui in Appenzellensium limitibus oritur: auctus infra Rheinow, Rheno miscetur. Illa flu. è Rheticonis mōtis radicibus ortus, sub Estnerbergo in Rhenum ruit. Apud Vennonos quos Engadinos hodie vocant AEnus flu. ex Iulij Alpibus oritur, fluitque per Finstermuntz in vallem Iutal, versus AEnipontem, vbi finis est Curiensis Diocesis, & terminus Rhetiaæ atque Vennonum, quem Rhetiaæ Marcam vocant, ad eum quoque locum extenduntur Norici, Vindelicique, quos populos deinceps AEnus ipse separat vsque ad Danubium. Arula ex Lepontijs oritur, vnde Argonia nomen est, apud forum Tiberij Rheno miscetur. Et cum infinitus ferè fluuiorum ex his montibus scaturientium numerus sit: eorum ortus cursusque tabulam attentius inspicienti offerentur. Lacuum amplissimorum nusquam maior numerus, quàm in hac prouincia, omnium nominatissimus est Podanicus, quem & Brigantium à Brigantio oppido, & Acronum seu Acronium, item Constantiensem & Venetum appellant, eum Rhenus perlabitur, nec miscens aquam suam, incorruptus inde exit. Continet autem hic in longitudine haud minus 24. millia passuum. vbi autem latissimus est circiter 12. millia passuum habet. In Occidente habet lacum Neoburgensem, lacum Lemannum. In Meridie sunt Verbanus lacus, Gauni lacus, Larius lacus, Seuinus lacus, Benacus lacus. Mediterranei autem sunt lacus Lucerianus, Tigurinus, Riuanus ac alij nonnulli. His miraculi causa annumerabo etiam lacum Pilati, qui in monte, quem Montem Fractum vocat, inter Luceriam ac Syluaniam vulgò *Vnderwalden*, penè in summo montis ingo, paludinoso solitarioque situs, syluis vndique circumdatur, ne scilicet à quoquam irriteretur. Fertur enim summas sauisimasque tempestates eum caulari, si quid data opera iniectum fuerit, quod accola experientia sibi notum esse testantur. Locus est visu horrendus, aqua suo alueo inclusa, nec exitum habet, neque flumen in se recipit aliquod, nec niuibus nec pluuijs augetur. Vento etiam minimè agitatur, quin semper sibi similis nigras suas tuetur vndas, nec fas est peregrinis eum adire locum, ne temerè quid injiciat, vnde vicina periclitaretur regio:

Montes vt hic enumerem vix opus est, cum notiores sint per orbem Rhetij montes quàm vt quisquam eorum nomina desiderat. Verum ne hic quoque defuisse videar, prodam saltem aliquot. Summæ montes Alpes nunc Gottardus mons dicitur. hinc sequuntur Pœninae Alpes, apud Selasios Cortia Alpes & Syluius mons sunt. Dein montes S. Bernardi maior & minor. Grayæ Alpes Leopontiorum sunt. Adulæ Alpes *deruogel* dicuntur, Misauos attingunt. Iuliae Alpes ac Permaurum mons in Engadinorum ora sunt. Hinc Valarius & Brantius montes apud Vennonos Rhetico mons in Rhucantijs est. Iurassus mons Lemanno imminet lacui. Abnobæ montes in Tulingorum finibus sunt, atque hæc sunt huius tractus famatissima iuga, quorum fiti ipsa charta chonographica oculis subiicit. Sylua sunt innumera, singulae Hercynia portiones sunt, cuius hic caput est, quamuis varia sibi hinc inde adsciscat vocabula, vt pote Sylua Brigantina, *Rhijnwald*, *Bonwald*, ac nonnulla alia æris fodinae sunt apud Saurunetes, hodie Sarganserferas, ferrum quoque foditur iuxta Montasum. Thermis saluberrimis locus factus est, vnde nomen habet oppidum Oberbaden in Argouia valle. Thermæ Fabariae vulgò *Pfauers* à vicino Benedictinorum cœnobio nomen sortita, in Rhucantiorū ambitu intra montium fauces, & veluti in horrendo Barathro. Sunt etiam Thermæ apud Aluenuw, seu Aluum nouum. Terminatur nunc Heluetia, ab Ortu Norico & Tyrolensi comitatu, à Septentrione Sueuia. Ab Occidente Sabaudia ducatu, à Meridie Longobardia. Incipit ab Occidente sub gradibus longitudinis 28. Vbi est Losanna ad Lemannum lacum, porrigiturque in ortum ad grad. longit. 31½. vbi est Curia. A Meridie initium sumit sub latit. grad. 44. minut. 55. vbi Comum vrbs est, desinit autem in Septentrione sub latit. grad. 47. minut. 30. Vbi Basilæa est. Subiacet itaq; post principium septimi climat. quod est per medium Pontum Euxinum, vsque sub principium octauum, quod est per Borysthenis ostia. Vnde Parallellus eius Australis est, autè est 17. diesq; artificialis ibidem prolixior horarum 15½. Boreus autè est 17. diesq; artificialis ibidem prolixior horarum 16. Continet autè miliaria in longitudine ab Occidente in Orientè, Germanica 40½. seu Italica 163. In latitudine autem ab Austro in Septentrionem Germanica 38½. seu Italica 155.

SVEVIAE TABULA.



Veus Gambrinij filius, & Manni nepos, Germanorum Rex, apud Tuyschones regnavit tempore Balei, vndecimi regis Babyloniorum, auctore Berofo libro. 5. Hic amplissimam Sueuorum gentem ac regnum condidit, & de suo nomine cognominavit. Sueuos autem Hermionum populum fuisse tradit Plinius, sicut & Hermunduros, Cattsos, & Cherufcos. Sedes verò non easdem quas hodie tenuisse eos, omnes testantur Chronographi, ac Historiographi. Docent Cæsar & Strabo Sueuos Rheno flumini finitimos existisse, penes Vbios, è regione Coloniae Agrippinae. ait enim Strabo lib. 4. Geographiæ, Rheni accolæ describens. Huic fluuiatili regioni toti superminent Germani alteri, quos Sueuos appellant, qui potentia ac hominum frequentia reliquos antecellunt &c. Et idè Strabo lib. 7. Sueuorū quidè gens amplissima, è Rheno siquidem vsque ad Albim peruenit flu. Ipsi quoque mare Septentrionale attigerunt, quod propterea ab ipsis Sueuicum mare fuit appellatum. Eam regionem hodie Saxones, Marcomeri, Pomerani, Prussij, Leuonij que incolunt. ac ibidem, inquit Strabo, eorum portio etiã trans Albim loca depascitur: quemadmodum Eumondori & Lancosargi. Hinc Lucanus lib. 2. Pharsaliæ canit. *Fundit ab extremo Flauos Aquilone Sueuos Albis, & indomitum Rheni caput.* Eundem etiam Sueuorum situm ponit Ptolomæus lib. 2. cap. 12. Huius argumentum etiam est Sueuus flu. trãs Albim, qui corrupto vocabulo Spreuus, *die Spre* dicitur, is Marcomerorum regionem. i. Marchiam Brandenburgensem veterem, Sueuorum sedem percurrit, & tandem etiam in Sueuicum seu Septentrionalem Oceanum iuxta Sundensem ciuitatem exit. de hoc tamen flu. dissentiant auctores. Sunt qui credant, Zwenum Pomeraniæ flu. Spreuo Orientaliorem Sueuum dictum fuisse. Nec desunt qui Viadrum seu Oderam flu. Sueuum dictum credant, cui opinioni accedit etiam Conrardus Celtis, vnde etiam Silesiam, quam hic perfluit fluuius, à Sueuis occupatam accepimus: quod Lygij Sueuorum natio, eam oram inhabitant. Carpathum præterea montem, ad Orientalem Germaniæ plagam positum, Pannoniam & Sarmatas separantem (ad cuius Australem partem Transyluani Germanorum progenies adhabitavit) Sueui quoque accoluerunt, quem ferunt Sueuum prisca dictū. His quoque non dissentire videtur Strabo, cum inquit, lib. 7. Sueuorum natio partim intra, partim extra syluam habitat, Getarum contermina genti. vnde & illud emergit, Hercynium quoque nemus incoluisse Sueuos. Sueui itaque Germanorum omnium gens amplissima, qui & Allemanni dicti sunt, intra hos ferè terminos olim fuere conclusi. Ab Oriente Carpathus mons: à Meridie Hercynium nemus, quod Bohemicum nunc appellatur, ab Occidente Rhenus, ab Aquilone Sueuicum mare seu Baltheum, Sueuorum limites fuere. Hæc gens nunc in angustiorem terminos, vtrum ab alijs compulsa, an sponte sua delata, incertum est. In Rhetiam enim populariter commigrarunt, quo loco iam aliquot seculis hæserunt, abolitoque veteri Rhetorum nomine, Rhetiam à se nouis cultoribus Sueuiam dixere. Atque hi sunt qui latè per Germaniam imperitabant, maximam eius possidentes partem, vix angulum relinquentes in tota Europa, quem non penetrarunt. Albim ab Ortu vsque ad exitum, & Rhenum quoque, adde etiam Danubij fontem, tenuerunt. In Sarmatiam ac Pannoniam Colonias deduxerunt: Nam illic fuere antiquæ Sueuorum sedes, deinde Rhetias occupauere: quas etiamnum tenent, ij inquam in quinquaginta quatuor populos ab Horosio distinguuntur, à Tacito autem istæ nominantur gentes, Semnones, Longobardi, Reudigni, Auiones, Angili, Varini, Endoses, Suardones, Nuithones, Hermunduri, Narisci, Marcomanni, Quadi, Marfigni, Gothini, Osi, Buri, Lygij, Arii, Heluecones, Manimi, Elysi, Naharuali, Gothones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aesti & Sitones, qui in commune vno nomine Sueui nominabantur, quorum nos sedes sparsim in hoc opere quoad licuit, inseruimus. recetior verò Sueuia cuius hic typus exhibetur in plurimas quoque separata est regiones,

& tractus suis nominibus distinctos. In Algouiam, Turgauia, oram Podanici lacus, Ergauiam, Hegauiam, Clergauiam, Prisgauiam, Martianum nemus, Badensem prouinciam seu Marchionatum, Vvirtenberghensem ducatum, Zabergauiam, Creichouiam, Brurinum, Albam, Albuchum, Hertfeldum, Plossenum, Ostbergum, Reyschnauia, risam, Hanecampū, Norgauiam, llergauiam, Algauiam, quæ Alpibus adhæret. Vrbes habet multas, Abuziacum, id est, Füssen, Kaufburnum, Campodunum, Memmingiacum, Isenachum. Terra est paulò sterilior, nemorosa, diues tamen pecorum. Turgouia à Turo amne, quo rigatur dicta. Habet Turgum Sancto-gallum, abbatis cellam, Ora Podanici lacus vitifera, habet Constantiam, Vberlingum, & Ergauia thermas Helueticas habet: *Oberbaden* vulgò dictas. Hegouia, Schefhusium, Stullingam, Cregiam & Twieliam arces continet. Clecgauiæ vicus est Halaw. Prisgauia vrbs est Friburgum, academia celebris. Brisacum vnde Prisgauia nomen, Rhenana vrbs est. Martianum nemus Hercyniæ caput, vulgò Nigram syluam dicunt. habet Villingum, kotwilam: parens est Danubij atque Niceri, Prouincia Badensi Marchioni subdita vrbes habet Badenam, principis sedem, & salubribus thermis claram. Pfortzheimium, syluam Hagenschiet, Vvirtenburgensis ducatus oppidis abundat. Stutgardia Metropolis est, de hoc suo loco fusius dicitur. Plossenus & Ostbergus Danubium prospiciunt. Ad Aquilonem rifa, quæ veteris Rhetia nomenclaturam retinet, sequitur. In qua sunt Nordlingiacum, Bopfingum, Vvendingum, & Oetingensis comitatus, cui adhæret Hanecampus, in quo mons Auellanus, ager Snanfaldensis, cum monasterio & castello Heydenheimio, Guncenhusium, & Alemannus flu. à quo etiam ora adiacens nomen habet, vulgò *ander Altmul* dicitur. Inde & Nordgauia habens Vveyffenburgum, & Suabachium vrbes. Insunt etiam agri vallesque, à præterlabentibus amnibus appellationem recipientes, velut est vallis Coccherana, Vulsana, Remisana, Prentiana, Guntiana, & campus Lyci. Sueuia olim suis regibus paruit ac ducibus, quibus in Chunradino vltimo Sueuorum principe extinctis, collapsum est regnum, & in plures diuastias diuisum. Ciuitatibus liberis, & Imperialibus potior pars subiacet. Eæ sunt Augusta, Vlma insigniores, Hala, Heylbrunna, Vvimpina, Vvyla, Reutlingum, Esselinga, Gemunda, Giengena, Biberachum, rauaspurgum, Constantia, Vberlingum, Lindauium, Isenachum, Campodunum, Memmingiacum, Kaufburnum, Vverdea, Nordlingiacum, Bopfingum, Ala, Duncelspuhelium, Vveyffenburgum. reliqua portio aut Austria, vel Palatinis, Vvirtenbergensi, & Badensi principibus, aut Augustensi & Constantiensi Episcopis, & Comitibus, Baronibus, atque nobilibus parit. Gens est populosa, fortis, audax, & bellicosa, proceri corpore, venusta facie & decora, ingenio singulari prædita. Præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Cuius gloria eò vsque creuisse memoratur, vt virtute & armis Imperium orbis meruerit, illudque vltra vnus seculi spacium magnificentissimè tenuit. Priuati Sueuorum nulla alia re, nullòue artificio magis occupantur, quàm lini lanæque operatione: cui adeò incumbunt, vt in quibusdam Sueuia locis nedum mulieres & puellæ, sed adolescentes & viri hyemis tempore colo admoneantur. Panni genus faciunt, cuius tela linea est, intertextum Bombycinium, *Parchat* illud vocantes: faciunt & totum lineum, quod *Golsch* appellant. Compertum est apud Vlmenes solum quotannis vtriusque generis pannos parari centum millia, ex quo quisque coniecturare potest, quàm incomprehensibilis incredibilisq; summa in tota regione elaboretur. Ad remotissimas nationes isti panni transfuehantur. Tota autem hæc prouincia salubri aère gaudens, celebratissimis vrbibus, vicis & castellis referta. Arces excelsæ, naturâ & arte munitæ, Tempia, collegia, monasteriaque plurima ac pulcherrima. Terra ipsa partim plana, partim montosa, ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præterquam aut lacus, aut montes vel syluæ occupant: fructuum, leguminum, frumentorumque abundantia, pecorum magna vis, prata, pascuaque lætissima, vitiferi montes.

SVEVIAE

Utriusq; cum Germani-
ca tum Rhetica Mar-
tianorumque nemorū
typus chorographicus
verus ac Germanus.
Authore



militaria Germanica comunia

S V E V I A E T A B.

Conualles in ea plurimæ, per quas perennes riui, amnes, fontesque lymphidissimi, è montium iugis defluentes, & iucundo murmure strepentes, vberem largiuntur piscationem, qui se vniuersi in Rhenum & Danubium nominatissimos fluuios exonerant. Hos sequuntur celebres, Lycus, Virdo qui Vvertaha, Nicer Alemannus *die Altmul* vulgò: ignobiliores autem sunt, Iler, Guntia, Mindula, Camilachus, Plauus, Prentius, Ega, Zufus, Smutter, Egyffus, ij omnes Danubio miscentur. Cocherus, Iagust, Remifus, Vulfus, Entius, Nagolta, Rheno cum Nuro confluunt. Sueuiæ montana sunt, Alpes, quæ longo tractu Danubium sequuntur, nomina sua crebrò mutant: vt sunt Schera, Alba, ad cuius extremitatem est Albeggum oppidum, vnicam tantum portam habens, tanquam albarum angulum dicas. Eckenim angulum significat. Albuchus à fagis ita dictus: Plossenus, multi etiam in Hercyniæ descriptione nominati à nobis sunt huius tractus montes. Nemora syluæque in ea multæ, & ob id genti venatio frequens, & aucupium peculiare. Hercynia verò horum saltuum omnium mater, frequenterque & ipsa nomina mutat. Martianum nemus dicitur, & Othonis sylua. & iuxta Constantiam Sueuorum nemus, vulgò *Schwaken waldt*. Lacus celeberrimi sunt, Podamicus seu Brigantinus, Tigurinus & superior lacus, item Federsee lacus. Minærarum est ditissima, circa montes enim & auri modicum quid, argenti autem, ferri, cuprique plurimum procreat. De quibus in

Vvирtenbergenfis ducatus descriptione nonnihil dicetur. Thermis præterea saluberrimis, pluribus locis à natura donata est hæc tellus, cuiusmodi sunt Thermæ ferinæ, Cellenses, quæ Scylla vocantur. Badenses & complures aliæ, quarum iam dicto loco mentio fiet. Sueuiæ autem recentioris limites sunt, ab Oriente Boioaria, ab Occidente Alsatia, Rhenuſque, Alpes Meridionalem plagam claudunt. Septentrionalem Franci. Incipit ab Occidente à gradu longitud. 30. minut. 15. qui est Meridianus Tigurinæ vrbis, desinitque in Oriente sub gradibus longitud. 33. quæ est longitudo Augustæ: à Meridie verò initium sumit sub latitudine grad. 46. minut. 45. vbi est Veldtkirchiacum, extenditurque in Septentrionem ad grad. latitud. 49. minut. 28. vbi est Mespachium oppidum. Subiacet itaque à medio septimi Climatis, quod est per fontes Istri, vsque ad medium octauum, quod est per mediam Mæotim. vnde Parallellus eius Australis est 16. Ibidemque dies prolixior horarum 15 $\frac{3}{4}$. Boreus autem est 18. ibidemque dies artificialis prolixior horarum 16 $\frac{1}{4}$. Si miliaria requiras, erit longitudo eius ab Occafu in Ortum miliariorum Germanicorum 40 $\frac{3}{4}$. seu Italicorum 163. latitudo autem à Meridie in Septentrionem Germanicorum 27 $\frac{1}{2}$. seu Ital. 110.

VALESIA, ET TERRITOR. BASILIENSE.



Vngouia nomen à Sequanis deductum esse haud obscura est coniectura, quam etiam Rhenanus approbat, rerum germanicarum Libro tertio. Rauricos (inquit) Caesar Sequanicos potius appelleret, positurus etiam Basileam in Sequanis, quorum vocabulum in Sungauos detortum ab Alemannis videri queat. Sunt enim Sungaui Sequani campestris siue exteriores: Nam interiores Sequani montana loca ac valles incolunt. Sequani autem à Sequana flu. quæ Seyne hodie vocat, dicuntur: is Belgas à reliquis Gallis dirimit. Sed & Rauricorū meminit Caesar: Libro. 7. belli Gallici. ita ut Sequanos, Rauricos minimè intellexerit, sed illis vicinam gentem, quorum nomen hodie videtur referre Vrichtal, quasi dicas Raurichtal, in cuius finibus etiamnum spectantur reliquæ vrbs Augusta Rauricorum, quæ nomen suum tutata sunt. Verum huius etymon, haud scio an vsquam reperiri queat, præterquam apud Munsterum, qui vocabulum Germanicum existimat esse Raurachen, quod Latine asperum palatium, seu rictum sonat: eo quòd iuxta Basileam urbem ex utraque Rheni ripa montes sibi inuicem ita imminuant, ut ceu palatium rictum quendam efficiant, à Romanis autem vocem in Rauricum detortam arbitratur, cui coniectura non inuitus accedo. Vtraque hæ gentes nunc Heluetijs annumerantur, ac sub Eremo Heluetiorum sitæ sunt. Diuiditur verò hodie Raurica in comitatū Rheinfeldensem, & prouincialem comitatū Sungouiensem, qui Basiliensis diocesis est. Pfyrtensis verò comitatus Sequanorum est. Rauricorum Augusta quondam ampla ciuitas fuit, nunc in tenuem vicum redacta: eam affirmant nonnulli ab Vngaris fuisse deletam. Ipsos verò Rauricos, indicat Caesar, Heluetiorum exemplo omnia sua oppida vicosa, & quicquid ædificiorū habebant, exussisse. Supra terram ferè nihil est, quod præscam magnificentiam loci indicet. At sub terra (vti refert Rhenanus, cuius hæc de eo vico verba sunt) mirum dictu quam plena muris ac rudibus omnia. Visuntur adhuc in colle, non procul à molendino, geminæ structurae caue, ex silicibus quadratis compositæ hemicirculi figura, quas cuiusvis veteres ædificarint, nemo diuinare potest, cum nec cisternæ fuerint pro conseruanda aqua, nec apta quarumlibet rerum receptacula, multo verò minus ad propugnandum valuerint. Subterraneorum ruinarum vestigia passim apparent Liechtenstallum vsque, vbi putatur specula fuisse Romanorum in monte. Vnde conijcere possumus Augusta magnitudinem, tum, quam amplis suburbijis cincta fuerit. Nihil autem admirabilius, quam fornices subterranei, toto ferme spatio quod modo diximus, è quadratis lapidibus extructi. Vulgus diuerticula Romanorum fuisse credit, per quæ veluti cuniculos quosdam, hostilem illi vim metuentes, vel longa obsidione fatigati sese subducere consueuerint. Verisimilius est aquæ ductus fuisse, non quidem aquæ fontanæ, cuius illic vt est montium natura, crebræ sunt vbique scaturigines, sed fluuialis potius, quæ serdes ciuitatis ablueret. Iactat autem vulgus mirabilem fabulam: Esse nimirum hic Gazophylaciū quoddam sub terra, quod magnam auri vim contineat à Romanis ibi depositam, ad quæ locum ijs criptis perueniatur. Hanc cameram ferrea ianua claudi, cano peruigili tutante, qui in eos, qui propius sgressi fuerint rictum, velut deuoraturus diducat. Itaque nullus adhuc compertus est tam audax, qui cum hac belua congregari sustinuerit. Raurici vt plurimū hodie in tugurijs degunt argillaceis & stramentitijs. Basilea inclyta vrbs hodie regionis caput, de cuius nomine, ortu ac ornamentis hæc sequentia ferè sunt quæ prodidit Beatus Rhenanus. Non puro inquit Basileam dictam ἀπὸ τοῦ Βασίλειου, quod à rege Henrico condita sit, sed à traiectu, quem lingua Romanensis, hoc est Gallica, passum vocat, vnde etiam, Bassella Mosellanica, quam vulgò Passel appellamus, sibi nomen vendicauit, vt sit dicta Basilea, quasi Passilea. Traiectum hoc loco fuisse verisimile est, etiam dum stante Augusta, quod hinc propter vallem per quam torrens è Birsa ductus fluit, ripa sit humilior, & ob multas causas ad transitum aptissima, apud Augustam autem prorsus abrupta. Et quia munimento opus habebat traiectus, aduersus Germanos & Alemannos, ideo duo propugnacula erexere Romani, quorū sudanētis turres istas duas impositas credo, quas hodie videmus, alterā in capite pontis, alterā paulò inferius, à sale hodie nomen habentē quod in ea asseruatur. Iam post triumphabundam illam Alemannorū in Galliam immigrationē, primū domus vtrinque ædificatæ sunt, nauiculariorū & pandochiorum, initium futurae duobus oppidis. Mox verò locus frequētiore fieri cœpit, vt etiam mercatores illic habitarent: nam circa traiectus omnis generis hominum turba confluere solet. Quanto verò magis minui cœpit Au-

gusta, tanto Basilea auctior indies facta est, propter multas commoditates, non solum traiectus ipsius, sed & facilius omnium rerum importationis, & melioris agri gratia. Proinde qui Basileam dictam putant, quod regia ciuitas sit, me non habebunt ὀμώφρον: Nisi concedere velimus eos qui huic loco vocabulum primi imposuere, fuisse diuinos, vt qui præscierint exorturam ibi posterioribus seculis ciuitatē, quæ regia nomenclatura digna foret. Nam si quis hodie Basileam contempletur, an non regiam vocabit? quando ea est viarum mundities, ac ædium in commune æqualis ordo, quarundam etiam magnificentia, atque amœnitas præsertim, quibus à tergo est viridarium D. Petri, & Prædicatorum Cœnobium, amplas areas & hortos elegantissimos habentibus, & quæ Rhenū aspectant, vt etiam ijs qui Italiā viderūt placere possit, nisi quod hypocaustorū vsus multos offendit, nō assuetos & pandochiorū serdes, id quod cum tota Germania cōmune habet. Cæli rara quadā & grata temperies, ciues humani. Templorū satis magnus numerus: Episcopale Diui Petri collegium. D. Martini tēplū parochiale est. D. Leonhardi monasteriū. Parochia D. Vdalrici. Monasteriū D. Albani & Iohannis quodq; suū claudit suburbium. Prædicatores in suburbio D. Iohannis amplissimū possidet cœnobium ædificijs multis ac spatiofissimis hortis, præsertim autem græca bibliotheca spectabile. Fræsciani ad mœnia veteris vrbs habitāt insignes amplissimo tēplo. Cœnobia puellaria maius oppidū duo habet, & minus item duo præter monasterium Cartusienis, & parochiale D. Theodori tēplū ex aduerso sitū. Basileā anno 1460. Pius pontifex Academia ornauit, quæ quo mirus floreat in causa est, prouentū tenuitas & nimia gymnasiorum in Germania multitudo. Illustrat eam etiam hodie Typographorum solertia, ac diligentia, & opificum industriarum mille genera. Vrbs ipsa ab hinc annos plus minus ducentos, ampliata est, & suburbia nouo muro latissimè circumdata. Quod si quis viridarium D. Petri contempletur, tum amplum, tum ob arborum copiam elegantissimum, seu pontem, duo oppida coniungentem, & ad prospectum in amnem conuenienter accommodatum, facile fatebitur etiam cum amœnissimis vrbsibus certare posse Basileam. Si verò salubris caliditatem expendat, procul dubio palmam dabit. Igitur quæ talem ciuitatem Basiliæ, hoc est regiam seu regiam domum ludens vocat, non multum aberrabit. Absurdior est illorum opinio, qui à Basiliaco hinc reperto nomen traxisse volunt. Magis autem ferendi, qui à Basilio quodam Romano duce conditam & appellatam commemorant. Hactenus ille. Est autē Sungouienise seu Basiliense territorium vini optimi, frumentique feracissimum. Vt etiam vicinis duriore annona pressis, succurrere valeant ipsius Incolæ. Fluminibus riuilisque rigatur pluribus, quos omnes tandem Rhenus recipit, qui Basileam secat ferè mediam. Sungouiam perluunt Tolderus ac Largus fluuij. Susgouiam Lutzelus, Birsa, Ergetzus. Vrickgouiam Arula, Ruxa, & Limatius. Eremum verò Heluetiorum Wuoc & Manbachus fluuij perlabuntur. Montibus hic totus tractus ita obducitur vt vallū chiliades efficiant. Eorū nominatissimus est Iurassus, ad Arulam fluuium incipiens ac introrsum occidentem versus iuga protendens, quibus sua quoque indita sunt nomina. Vocatius d. & Boetzberg, Schaffinat, Blovv, Hauvvenstein, VVasserfal, Iurten, Læberberg. Huius montis partem Iulius Caesar olim cum in Sequanos exercitū duceret, pertuso solido aliquo saxo permeabilem reddidit mirando opere vnius diei itinere à Basilea iuxta pagum Dachsenfeldum, eum locum accolæ Pireport seu Petram pertusam vocant, iuxta Byrsa fluuij fontes. Sylua hinc Martiana late spatiat, eius pars Rheno flu. hinc vicina Rauricum nemus vocatur, Vulgo de hart dicunt. Minerarum fodina hinc nulla nobiles præter eas quæ in vicina Elsatia, Lebarthal vallis ditissimas ac inexhaustas exhibet. Vicinos autem habent à Septentrione Brisgouios & Elsatios, à Meridie Heluetios, ab Occidente Maximam Sequanorum, ab Oriente Eremum Heluetiorum & Abnobas montes. Initium autem sumit hæc tabella ab Occidente sub gradib; longitud. 28. minut. 2. vbi est Mons Peligardus, ac desinit in oriente sub grad. 29. minut. 45. vbi est VValds hutum. A meridie in initium sumit à gradib; lat. 47. minut. 20. vbi est Lauffenum. ac desinit in septentrione sub latit. grad. 47. minut. 50. vbi est Brisacum oppidum. Subiacet itaque sub finē septimi climatis, quod est per fozes Istri sub parallelo. 16. Vt pote diem habens artificialem prolixiorem horarum. 15. Vnde in longitud. complectitur hæc tabula ab occasu in ortū milliarum Germ. 27. aut Italica 308. In latitudine autem seu à meridie in Septentrionem Germ. 7. seu Italica. 30.